

pluribus depinxit AUGUSTINUS L. I. Confess. C. XIII, XIV, XVI. Hinc eruditionem hanc quam vocant profanam, non omnino quidem, uti par est, omnes repudiabant, periculosa tamen hoc evitaturi & in studiis sine offensione profecturi, potissimum Scripturam scrutari jubebant, quippe qua omnis sapientiæ thesauri continebantur. Unde etiam aliqui eo usque procedebant, ut omnino abstinendum esse judicarent à lectione librorum gentilium, qualis est auctor ille CONST. APOST. quæ vulgo *Clementi* (quo jure vid. JTTIG. de Pseudepigr. c. XII. & H. E. sec. I. C. I. p. 50. USSER. Proleg. ad Ep. Ignat. c. 6. seq & SCULTET. *Medulla Patr.* L. XI. Cap. V. p. 451.) tribuntur; ille enim l. I. c. 6. p. 4. ita loquitur: *ab ethnicis libris omnibus abstine. — quid vobis deest? si historiam vultis, legite libros Regum, si philosophiam & Poësin, habetis Prophetas Jobum & Proverbia, ubi accuratiorem poeseos & sapientiæ meditanda occasionem invenietis, quia verba sunt Dei, qui solus est sapiens, si cantica amatis, habetis Psalmos; si queritis antiquitates, Genesin habetis; si leges aut promissiones, nobilem Dei legem habetis.* Quod ex Scripturis vero *Ethica* addisci possit BASILIUS Ep. I. sequentibus docet: *potissima ad recti inventionem via est Scripturarum lectio, in illis namque & agendorum præcepta inveniuntur & vita beatorum virorum clare depicta instar animatarum quarundam imaginum, quæ secundum Deum est conversationis ad bonorum imitationem tradita proponitur.* Quam caute versati sunt V. C. circa profanorum auctorum lectionem, lege in erudito tractatu MABILLONII de *Studiis Monasticis* part. II. cap. II. p. 493. seqq. AUGUSTINUS prolixè ostendit in pereximia sua Epist. II. ad *Volusianum*, quod in Bibliis omnes scientiæ sint reconditæ, ut *Physica, Logica, Ethica.* Fatetur, quod Philosophorum scripta eum reddiderint doctum, sed simul vanum. *Confess.* l. 7. c. 20. & capite 21. adfirmat omnia, quæ vera occurrunt in libris ethnicorum, in Scriptura etiam inveniri, cum è contrario de mysteriis quæ Scriptura nobis revelat apud profanos auctores altum sit silentium. Adde quod *de vera rel.* c. 51. poetatum & reliquorum nugas *pictis epulis similes* esse dixerit, quibus anima frustra refici satiarique cupit. Aliis scientiis, ut *linguis, Genealogiæ, Geo-*